



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. XXIV. Yolanda à Philippo Rege Galliae D. Ludovico filio impetrat  
spinam Coronae Domini. Mors eius & sepulchrum. Boëmundus Trevirorum  
Archi-Episcopus dedicat aedam Mariae Vallis, quae propter ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

terum tabulis, unus hâc memoriâ longè ânterior, posterior alter, Provinciæ Luciliburgensis Seneschallus seu Gubernator, de quo id acceperim, quod est in Ephemeridibus *MARIÆ Vallis.*

*XVI. Kal. Martias ob. Waltherus de Meisenburgh, qui dedit V. libras.*

Hæc de Meisenburgijs paulo pluribus memorâsse, non est, opinor, alienum: cum ad res Yolandæ vel maximè pertineat, Waltheri Domini-  
cani, optimi præceptoris atque doctoris, ipsius parentum commendari posteris memoriam.

## CAPUT XXIV.

*Yolanda à Philippo Rege Galliæ D. Ludovici filio impetrat spinam coronæ Domini. Mors eius & sepulchrum. Boëmundus Trevirorum Archi-Episcopus dedicat eadem *MARIÆ Vallis*, quæ propter Yolandam est in summâ veneratione Principum.*

**I**Nter res Yolandæ memorabiles, illud longè præcellit, quod Philippus Galliæ Rex, D. Ludovici filius, spinam ei ex coronâ Christi Domini donavit, de quâ re nunc disseram. Editus est commentariolus Galteri Cornuti, Archi-Episcopi Senonensis, de susceptione coronæ spineæ, quem

quem commentariolum Galterus iussu D. Ludovici conscripsit. Narrat ibi, Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum, Margaritæ Comitissæ Viennensis, ut sæpè dixi, fratrem, Yolandæ avunculum, dum res eius Constantinopoli periclitarentur, venisse in Galliam flagitatum auxilia, quod nos quoque alio loco narrabimus. Ludovicum prolixè opitulatum Balduino. Hunc, ut gratiam Ludovico referret, coronam spineam Christi Domini, ob rerum angustias Venetis oppignoratam, donâsse. Ludovicum pecuniam oppignoratitiam Venetis repræsentâsse, & per duos Sodales Ordinis D. Dominici, Iacobum & Andream, litteris Balduini munitos, sacram coronam Constantinopoli oportandam curâsse. Eam denique signaculis argenteis in aureâ cistâ ritè obsignatam, incredibili pompâ Parisijs anno 1239 acceptam. Moritur deindè D. Ludovicus anno 1270. eique succedit Philippus filius. Is, procurante Yolandâ cognatâ eius, misit Sanctimonialibus *MARIAE Vallis* ex coronâ Christi spinam unam, gestatam à simulachro argenteo Angeli, additis 250 libris nummûm Turo-nensium. Philippo posthæc anno 1285, pridie Nonas Octobres defuncto, Virgines *MARIAE Vallis* 3 Kalendas Octobris anniversarium eius solemne Ephemeridibus ita inscripserunt.

III. KAL. OCT. ANNIVERSARIUM  
EXCELLENTISSIMI DOMINI PHILIP-  
PI REGIS FRANCIAE QUI DEDIT NO-

K 2

BIS

BIS CC. & L. LIBRAS TURONENSES  
& ARGENTEUM ANGELUM CUM  
UNA SPINA DE CORONA DOMINI  
& CRUCEM ARGENTEAM CUM  
PARTE DE LIGNO DOMINI. HAC  
DIE HABEBIT CONVENTUS XX. SO-  
LIDOS AD PITANCIAM DE BONIS  
DE NORTZINGEN.

Hoc porrò viginti solidorum congiarium ab ipsa Yolanda constitutum fuisse videtur, siquidem in Ephemeridibus scriptum est, eam omnium de sua parentela, de qua & Rex Philippus, annuis parentalibus, ex bonis Nortzinganis, victum Sodalibus præberi iussisse. Verba Ephemeridum.

VIII. Idus Januarij. Hâc die, in recordationem pia memoria sororis Yolandis amantissimæ Priorissæ nostræ, habebit Conventus ad pitanciam LX. Solidos de bonis de Nortzingen. Quæ quidem bona comparata sunt de bonis amicorum ac parentum, & de ipsâ ad hoc ordinata, ut fructus seu redditus dictorum bonorum ad communem pitanciam conventus distribuantur in die Epiphaniæ Domini & anniversarijs specialiter ad hoc deputatis, prout Kalendario præsentis continetur.

Cæterùm summo meo gaudio vidi coram & veneratus sum illud Angeli simulachrum. Spinam crystallo inclusam manibus præfert, estque materia argentum inductum auro, magnitudine ferè pedali, donum sanè, & se ipso, & donantis accipientisq̃ contemplatione gemmis omnibus longe

longè anteferendum. Atque hæc sunt, quæ de Yolandâ accepimus: multa, profectò, si sequimur exemplum, at pauca pro desiderio nostro, omnia eius cognoscere optantium.

Obijt anno MCLXXXIII. VI. Kalendas Ianuarias. Sepulta verò in medio *choro*, quem vocant, ubi virgines hymnos sacros psallunt: visiturque hodiè tumba eius pedibus fermè duobus à pavimento in altum educta. Lapidis planicies effigiem Yolandæ refert, vitri segmentis aptè coherentibus, & encausto infernè pictis expressam, habitu Sanctimonialis. Circumscriptum epitaphium litteris uncialibus, in crustâ vitreâ, encausto, subiectâque auri tenuissimâ bracteâ fulgente. Opus integrum vidi adolescens. Nunc iniuriâ temporum superiora à capite ad pectus diffracta sunt, nisi quod manifesta durant sacræ ædis, cum tecto turris in pyramidem educto, vestigia. Hanc ædem sustentabat brachium dextrum, quâ specie maiores nostri Divorum, qui templa cœnobiave condidère, formare solebant imagines. Yolandæ autem ea species attributa est, quod cœnobium *MARIAE Vallis*, tenue antea atque exile, rebus & disciplinâ ita provexerit, ut merito primâ eius auctrix id fundâsse censerî possit. Certe ædem sacram, ut de ceteris nihil dicam, ab Yolandâ fuisse conditam, suadet tumulus matris eius ab eâdem Yolandâ factus. Tumba item Waltheri Meisenburgij, totis XIII. annis antè Yolandam defuncti inque eâdem æde conditi.

Quæ tumbæ sub arcubus intrâ muros positæ, antiquitate & litterarum formâ Yolandæ tempora profitentur. Quod ergò ex ephemeridibus postea adnotabitur, Boëmundum Trevirorum Archi-Episcopum anno demum M. CC. XCVI. templum MARIÆ Vallis dedicavisse, id non ita acceperim, quasi à Poncettâ Meisenburgicâ, quæ Yolandæ in Priorissæ munere successit, ædificatum, Boëmundus tam serò consecraverit: sed adiectis post Yolandam fortasse partibus, omnia ipse sacris ceremonijs initiaverit. Unde dedicâsse dicitur *totam Ecclesiam* & consecrâsse *altare maius in Ecclesiâ*, aliudque *in choro*. Nunc epitaphium Yolandæ, quoniam prisçâ litterarum formâ, & contractione vocabulorum haud facile lectu est, litteris nostri usus, integrisque vocibus adscribatur.

HIC IACET PIÆ MEMORIÆ SOROR YOLANDIS PRIORISSA HUIUS LOCI ILLUSTRIS VIRI HENRICI COMITIS ET MARGARETÆ COMITISSÆ VIAN. FILIA CUIUS HÆC MATER PRÆDICTA SOROR FUIT BALDEWINI IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI SUB EA AUTEM ORDO SANCTISSIME VIXIT INCREMENTUM ACCEPERUNT RELIGIO ET RES ORDINIS OBIIT PRIORATUS SUI ANNO XXV. ÆTATIS VERO SUÆ CIRCITER L. ANNO DO-

ACCEPERUNT RELIGIO ET RES ORDINIS OBIIT PRIORATUS SUI ANNO XXV. ÆTATIS VERO SUÆ CIRCITER L. ANNO DO-

HIC IACET IN MEMORIA SOROR YOLANDIS



PROBIS R. IVI<sup>o</sup> LOCI MILITUM SVB HECI COMITIS BT. MA. C. COMITIS SVICII. CVI HEC MAT. PDCA SOROR  
SVIT. B. ALDWINI EPISCOPI

ACCIPERE ET RELIGIO ET RES. OBIRE. P. IOR. T. C. SVI. ANO. XXV. ET ALIIS. V. SV. C. T. L. I. E. T. K. N. O. D. N. I. M. C. C. L. X. X. I. I. X. V. I. E. L. I. A. E.

GRÈ. QI. ME. CASI. ET. IVI. SVI. TI. F. ME. AMORE. SECLI. QI. COR. P. MEY. A. POLLE. NO. SE. PAS. IT. VE. ME. MD. I. T. VAN. NIS. ED. I. AM. P. ER. V. C. I. R. E.

COSTAZIN. SVB EA. XVI. O. S. E. S. S. E. N. I. X. I. T. I. C. H. E. M. E. T. V. M.

DOMINI 1283. XVI. KAL. JANUARIJ.

Ex manu sinistra Yolandæ sinuatum teniæ oblongæ modo schedion deorsùm fluit, his notatum litteris.

*Christe qui me creâsti, & tulisti à me amorem seculi, qui corpus meum à pollutione separasti, iube me ad tuam misericordiam pervenire.*

Circà tumuli saxeam crepidinem, versus olim scriptus erat, sed nunc ætate evanuit, nisi quod alicubi Yolandæ nomen, licet ægrè, legi potest, uti & hæc de eâ verba

.... REGUM COMITUMQUE BEATA  
EDITA PROGENIE. ....

In Ephemeridibus tale est Yolandæ elogium, sed cum mendâ in anno mortis eius.

XVI. Kal. Januarij obiit soror Yolandis felicis memoria, Priorissa, filia illustrissimi domini Henrici Comitis Viennensis, & Margaritæ Comitissæ de Viennâ, quæ vitâ laudabili, morumque honestate ceteris præclarior, religiosè & amabiliter monasterij nostri conventum rexit plusquam XXV. annis. Cuius quidem religiosæ & sanctæ conversationis formâ, humilitatis & caritatis exemplo, quamplures fratrum & sororum & aliorum secularium personæ religionis non modicum ceperunt incrementum. Insuper & locum nostrum thesauro glorioso, ligni scilicet Dominicæ crucis, & spinæ de coronâ Domini, cum alijs quampluribus SS. Reliquijs per suam illustrem providentiam ditavit abundè. Possessiones & ædificationes totius monasterij nostri, cum magno Ecclesiæ ornatu & libris multis



is providentissimâ suâ procurazione, matrisque suæ & parentum & amicorum ipsius cooperatione, largissimè ampliavit, presentis sic vita cursum in Domino feliciter consummando, anno Domini M. CC. LXXXI. lege M. CC. LXXXIII. Hâc die habebit conventus ad pitanciam XL. Solidos de bonis in Norzingen.

Elenchus Priorissarum MARIAE Vallis concinnatus hoc ineunte seculo, Yolandæ sufficit Poncettam Meisenburgicam, sed errore, non excusis rectè veteribus monumentis. In tabulis quippe anni M. CC. LXXV. biennio post Yolandam, ita habetur. *Soror Katherina, Priorissa Vallis S. MARIAE.* Hæc itaque Catharina, licet ex quâ nobili gente nata sit, nos lateat, Yolandam in munere excepit; quam deindè secuta est Poncetta Meisenburgica.

Prodigia multa atque magna patrâsse Yolandam cum viveret, & maximè cum sodalibus præesset, auctor est Hermannus. Sed hæc cuncta cum postremis libri ipsius folijs irreparabili damno periêre. Unicum paginæ ultimæ adhæsit tale.

Cum tantâ illâ custodiâ circumsepta esset, ut neque litteras, neque nuntium cuiquam mittere, aut accipere ei fas esset, imò ne soli quidem esse liceret, quin adessent perpetuò, qui eam observarent, rationem tamen commenta est, quâ ad Patres Prædicatores scribere posset epistolam. Sub serum diei, cum iam nox esset, iussis ad sua conclavia cubitum ire matronis atque puellis, lumen inexstinctum reliquit. Ex matronis una non

condormierat. Hæc ubi [ seu per fenestras, seu per rimam, seu aliâ ratione ] lumen animadvertit, subitò consurgens ad Yolandæ cubiculum properat stomachabunda. Sentit advenientem Yolanda, moxque candelam, ut erat ardens, in stramen immittit ac decumbit, nec sollicita excitandi incendij. Inter hæc matrona cubiculum Yolandæ ingreditur. Sed nullo animadverso lumine, cubitum redit, solâ Yolandâ relicta. Illa mox consurgens candelam è stramine planè ardentem & flammantem educit, stramine ne ambusto quidem, atque inter gaudium ac metum exarat, quas cœperat scribere litteras, ac tandem securè lecto se componit.

Narrat deindè Hermannus, Yolandam; cum cœnobium gubernaret, venisse aliquando ad Sanctimoniales ægrotas mensæ accumbentes: sed quid ibi factum codex hîc abruptus cum cæteris Yolandæ miraculis posterorum memoriæ eripuit.

Quamquam quid miracula eius nobis deesse querimur, cum incomparabilis illa eius inter tot & tam varios & tam acres, tamque diuturnos omnis ætatis & conditionis hominum insultus, in benè cœptis constantia, ingens sanè maximumque sit miraculum. Quod utinam non mirari tantùm aut laudare, sed etiam imitari plurimos, qui res eius gestas legent, aliquando contingat, ut tam illustri exemplo hæctenus sub tenebris longæ oblivionis delitescenti cum fenore honor suus suaque gloria restituantur. Quod autem tradit Hermannus

mannus

mannus, Yolandâ defunctâ & sepulchro condita, constituisse ipsius causa cœnobio **MARIAE** Vallis ingentem ubique maximorum hominum venerationem & cultum, quandò id ad res Yolandæ plurimum pertinet, sub texam in eo genere illustria quædam, Yolandæ temporibus vicina, pleraque ex Ephemeridibus toties à me laudatis. Ita enim in ijs ad certos dies scriptum invenio.

*VIII. Idus Ianuarij. Dedicatio totius Ecclesiæ & consecratio altaris maioris in Ecclesia & altaris in choro, quæ facta est à venerabili D. Boëmundo Trevirorum Archi-Episcopo, anno Domini 1296. & translata est festivitas à prædicto Archi-Episcopo in octavam Paschæ. Huic Domino promissimus per patentes litteras nostris sigillis sigillatas, quod post mortem eius in omni suo Anniversario memoriam eius semper faciemus solemniter in vigilijs & missis.*

Creatus est Boëmundus Archi-Episcopus anno 1288. obiitque 1299. deque eo ita in Ephemeridibus.

*III. Idus Decembris obiit Dominus Boëmundus Archi-Episcopus Trever.*

Eximiè quoque **MARIAE** Vallem coluit Henricus de Grandi-Sono, Burgundus, Comitibus Chiniacensis sanguine iunctus, Virodunensis Episcopus, electus anno 1276. mortuus 1280. Ephemerides.

*VI. Idus Ianuarias Anniversarium piæ memoria venerabilis & præferendi Domini Henrici Episcopi Virodunensis, qui nos & monasterium nostrum singulari prosequ-*

*batur favore, nobis semper, ut fidelis pater, & amicus promotor existens & benefactor.*

De Philippi regis Galliaë ergà Vallem MARIAE munificentia dictum est. Isabella uxor eius, suo etiam merito in Ephemerides relata est.

*VI. Kal. Februarias obiit illustrissima Regina Francia Ysabellis.*

Eisdem Ephemeridibus inscripta est egregia benefactrix Beatrix, uxor Henrici Comitis Luciliburgensis, anno 1288. in memorabili illo ad Buruncum prælio cæsi.

*V. Kal. Martias Anniversarium illustrissimæ Dominae Beatricis Comitissæ Lucemb. de quâ adhuc vivente accepimus 126. libras Turonenses pro suo Anniversario, similiter & Domini Comitis collateralis sui, annuè recolendo.*

Erat Beatrix filia Ioannis I. Avesnensis, maritoque supervixit. De marito autem hæc est in Ephemeridibus memoria.

*Nonis Iunij, obiit illustris Henricus Comes Lucemburgensis.*

Occubuerat ille, ut dictum, in prælio ad Buruncum, Nonis Iunij anno 1288. Exindè domes aliquantum turbata. Erat Beatrixi ex Henrico filius Henricus, tùm adolescens, factus dein Imperator. Hunc cives Luciliburgenses, nescio quâ, iniuria affecerant, revocato fortasse in dubium paternæ successionis iure. Sed anno sequenti, die Sabbati, post medium verni ieiunij, Iudex & Magistratus Luciliburgensis in cœnobio PP. Franciscanorum Luciliburgi pace facta in  
concor

concordiam rediēre, præsidibus Godefrido de Esch, Senatu, & multis clientium Luciliburgensium. Civitas, stabiliendæ paci ter mille libras nummūm Trevirensium addixit. Interim dum hæc concordia refertur in tabulas, visa est Beatrix Luciliburgo procul agitasse, ceu rebus nondum sat firmatis. Quo retulerim, quod IV. Nonas Julias, festa luce DD. Processi & Martiniani, hoc eodem anno, ad MARIAE Vallem, virginibus cœnobij S. Spiritus Luciliburgensis, lignationem in silva Andethanna unâ cum filio Henrico concessit. Tabulas ea de re autographas ipse vidi, hac observatione memorabili, quod Henricum filium suum Beatrix appellat *verum heredem & Comitem* Luciliburgensem; ut pronum sit opinari, fuisse, qui id in controversiam vocarent, eamque esse Henrico illatam, de qua supra dixi, injuriam. Verum composita deinde res, & Sabato antè ferias D. Christophori comprehensa tabulis publicis, quæ vere nupero inita fuerat, concordia.

Maria Philippi, quem dixi, Regis Galliæ secunda uxor, filia Henrici & soror Ioannis Brabantie Ducum, maritum benefaciendo imitata, talem habet in Ephemeridibus memoriam.

*XI. Kal. Aprilis Anniversarium illustrissimæ Domine Mariæ Reginae Franciæ, quæ dedit nobis D. libras Turo-nenses.*

Margarita Henrici, cognomento Magni, Comitiss Luciliburgensis filia, nunquam nupta, virginibus

ginibus MARIAE Vallis vitę celibis, ut credere par est, similitudine, mirę fuit addicta. Ephemerides.

*XV. Kal. Maias obiit illustris Domicella Margareta Lucemburgensis, quę nostrum monasterium, ut sæpe potuit, singulari semper diligebat affectu.*

Fuit & Yolanda alia Comitis Luciliburgensis filia, sed an Henrico, cognomento Magno, an filio eius ad Buruncum cęso nata, incertum. Alterutrius fuisse filiam, haud dubium, non tamen Henrici, eius qui Imperium deindę adeptus est, quia is non Comes, sed, ut dixi, erat Imperator; nisi antę eius imperium Yolandam decessisse dixeris. De ea Ephemerides.

*VI. Idus Iulij, obiit Domicella Yolandis, filia comitis Lucemburgensis.*

Margarita fuit uxor Ioannis II. Brabantię Ducis, filij Ioannis I. celeberrimi illius ad Buruncum triumphatoris. De eius erga MARIAE Vallem benevolentia, sic Ephemerides.

*Nonis Iulij obiit Margareta Ducissa Brabantia, quę dedit X. libras.*

Jam anno 1294. erat Margarita in Ioannis matrimonio, obiitque 1318.

Sequitur alteta in ephemeridibus Yolanda, Henrici Luciliburgensis Comitis filia, sed cuius Henrici, incertum. Fuisse innuptam, probat *Domicella* titulus, sed alterum Hirsbergi titulum, malo fateri non intelligere me, quam coniectando, quod possem, errori me committere. Ephemerides.

*IV. Kal.*

*IV. Kal. Septembris obiit Domicilla Yolanda de Hirsberg, filia domini Henrici Comitis Luxemburgensis, de qua habuimus XVI. libras Turonenses.*

Nobilissima fuit gens Brunishorniorum. Ea Theodericum anno 1293. cœnobio D. maximini apud Treviros Abbatem dedit. Quoniam verò MARIAE Vallis sita est intrâ fines parœciæ Marischiensis, quæ ab antiquo est Maximinianorum; hinc causâ inter alia extiterit, cur Theodoricus tantâ liberalitate Vallem profecutus sit, quanta in Ephemeridibus describitur.

*X. Kal. Octobris obiit Dominus Theodoricus de Brunshorn Abbas S. Maximini Treviri, qui adhuc in vitâ existens contulit nobis in promptâ pecuniâ C. & XX. Turon. pro remissione animæ suæ, nihilominus & Anniversario suo & parentum ac amicorum suorum annuatim celebrando & memoriâ suâ, cum speciali Missâ, singulis mensibus faciendâ. Hâc die habebit Conventus ad pitantiâ V. libras.*

Non præterierim hoc loco Godefridum Abbatem, Theodorici decessorem. Origo ei ex equestri Holfeltziorum gente apud Luciliburgios; quæ gens arcem sui nominis vetustissimam MARIAE Valli proximè hærentem habet, ut suprâ memoravi, & plerique eius gentis Proceres iam olim in æde MARIAE Vallis sepulti sunt, exstantque etiam hodiè veteres tumbæ, nullis inscriptæ nominibus, sed notatæ tantùm gentis insignijs, more Polyandriorum. Vixit Godefridus anno 1288. Obijtque 4. Kal. Februarias,

rias, anno 1303. De eo Ephemerides.

XVI. Kal. Martij Anniversarium Domini Godefridi  
de Holveltz quondam Abbatis S. Maximini Trever.

## A P P E N D I X.

*Margaritæ Henrici VII. Imperatoris Romanorum Soror fit Sanctimonialis ad MARIÆ Vallem, & post Poncettam Meisenburgiam creatur Priorissa. Sub eâ mirificè floret MARIÆ Vallis. Cultus ibi Divus Petrus Martyr. Eius Sepulchrum & Elogium.*

**H**Actenus argumentis satis dedisse videor, verè Hermannum scripsisse, cum Yolandæ memoriam dixit in magnâ fuisse optimatum illustriumque hominum existimatione; cui rei pro coronide addo accessionem gloriæ ingentem MARIÆ Vallis factam à Margaritâ, sorore Henrici, ex Comite Luciliburgensi Imperatoris Romanorum eo nomine VII.

Hæc Yolandæ exemplo, Ordini D. Domini-  
ci sese dicavit ad MARIÆ Vallem. Ibi iam Catharina incompertæ stirpis, cuius exstant tabulæ anni 1285. Yolandæ in Antistitis munere successerat, hancque ordine in eodem Magistratu exceperant Poncetta Meisenburgica & Aleyda, cuius meminere tabulæ anni 1303, cum tandem  
Mar-